

credit, sed tamen illud testimonium divinum non est sibi firmiter, et infallibiliter applicatum, eo quod non accipit illud ut propositum per Ecclesiam, quæ est firmamentum veritatis, et publicus minister fidei. Sic qui ex vanitate credit non credit supernaturaliter, quia non per modum principii justificationis, sed ex sua vanitate, vel commodo temporali, licet enim justificatio possit compati cum vanitate concomitanter, non tamen fieri aut oriri ex vanitate.

XLIV. Ad id quod ultimo proponitur in argumento principali de eo qui suspicit baptismum, vel martyrium simul cum affectu inanis gloriæ, et tamen justificatur, respondetur sicut ad id quod diximus de suscipiente sacramentum pœnitentiæ cum attritione, et cum vana gloria, et solvitur per distinctionem datam de vana gloria concomitanter solum se tenente cum voluntate martyrii, vel baptismi ex parte operantis, et hæc non impedit justificationem, nec vitiat illam voluntatem, vel influente in ipsum actum, et tenente se ex parte operis, et talis vitiat voluntatem baptismi, vel martyrii suscipiendi, et tunc non deservit ad justificationem, quia ut dicit Apostolus: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero nihil sum*,¹ ad Corinth. XIV. Si autem quis habeat voluntatem suscipiendi eucharistiam, vel aliud sacramentum vivorum ex vanitate, et peccato veniali, si tamen sit in gratia, recipiet fructum sacramenti non in vi illius voluntatis, quæ peccatum est, sed quia ad fructum hujus sacramenti sufficit esse in gratia ut sibi augmentum gratiæ ex opere operato conferatur. In baptismo autem, confessione, et martyrio si quis non sit in gratia, sed in peccato, justificari non potest, nisi habeat supernaturalem attritionem,

quæ scilicet sit motio Spiritus sancti, non adhuc inhabitantis, sed moventis, ut docet Tridentinum sess. XIV, cap. IV, et hæc non potest haberi ex motivo vanitatis, aut alterius peccati influente, et vitante ipsum actum, bene tamen si solum concomitanter se habeat ex parte operantis.

ARTICULUS V.

An possit idem actus moralis habere duplicem speciem, quæ simul sit bona, vel simul mala?

I. Suppono tunc dari duplicem malitiam, vel bonitatem distinctam, quando est duplex conformitas, vel difformitas ad rationem, quarum una non destruit aliam tamquam oppositam, neque contrahit tamquam superiorem ut constituat unam speciem sicut genus cum differentia, quia si una destruit aliam, non manent duæ, sed una tantum. Si una contrahit aliam, conspirant in unam speciem, et una tantum malitia, aut bonitas manet constans suis gradibus, superiori et inferiori. Oportet ergo quod ut maneant duæ species bonitatis, aut malitiæ in aliquo actu, possit una manere sublata alia. Quod tunc maxime continget, si utraque malitia, aut bonitas procedat ex diversis motivis, aut in se habeat diversas rationes movendi voluntatem, et jungatur unum motivum, seu ratio movendi cum alia, et sic fiat actus particeps diversarum bonitatum, vel difformitatum, quæ in illis motivis inveniuntur secundum regulas rationis. Quod in actu electionis magis apparet, in quo fertur electio in suum objectum, quod est medium, hoc enim est finis operis, seu electionis, id est, terminus, seu objectum in quo tendit: datur etiam in ea finis operan-

DIVERSÆ SENTENTIÆ.

tis ex cujus intentione movetur ad eligendum, et sic electio subordinatur illi fini et intentioni, contrahitque ex ea suam bonitatem, vel malitiam, quia bonitas, vel malitia communicatur quoties aliquis finis, vel objectum, aut ratio aliqua influat, vel movet ad actum, non enim talis influentia, seu causalitas, aut conjunctio est sine communicatione unius ad alterum. Et quia cum aliqua subordinatione se habent isti fines, vel objecta, etiam ipsæ bonitates, vel malitiæ in actu ipso subordinationem aliquam habent, et sic species istæ non ex æquo conveniunt. Aliquando autem objectum electionis, quod est medium per se, et ex natura ipsius objecti subordinatur fini intento; aliquando non per se, sed solum ex voluntate operantis, et tunc quasi per accidens, et disparate dicitur se habere iste finis ad illud objectum, et bonitas, vel malitia ejus ad bonitatem, vel malitiam istius, non quia subordinationem non habeant, sed quia non ex natura objecti, et finis, sed solum ex voluntate operantis sic conjunguntur, et subordinantur. Exemplum primi, sicut actus contritionis per se subordinatur charitati, quia debet esse dolor propter Deum summe dilectum, et sicut virtutes morales per se subordinantur prudentiæ, et dona Spiritus sancti, ac virtutes infusæ virtutibus theologis, a quibus per se pendent in ordine supernaturali. Exemplum secundi, ut cum quis temperate comedit ut fortis sit, vel ut restituat, vel ut pœnitentiam agat; et in operibus malis ut cum quis furatur ad hoc ut mœchetur, vel e contra. Quærimus ergo, an istæ malitiæ, et bonitates sic diversæ jungantur in eodem actu, quando revera diversæ sunt, et non reducuntur in unam, et quomodo inter se subordinentur.

II. Varia, et multiplex est in hac parte auctorum sententia. Reducitur autem ad duplicem ordinem. Nam primo possunt considerari plures bonitates, vel malitiæ in eodem actu absolute, et ex parte objecti concurrentes. Secundo, respective, et cum subordinatione objecti ad finem, vel circumstantiam. In primo ordine est duplex sententia extreme contraria. Nam primo aliqui sentiunt non solum posse bonitatem, et malitiam plurificari in eodem actu per subordinationem objecti ad finem, ita quod una sit essentialis, alia accidentalis, sed etiam quod immediate, et ex æquo possit habere duas bonitates, vel malitias etiam per modum plurium, eo quod putant posse eundem numero actum respicere duo objecta formalia specificè diversa, et adæquata: quod præsertim in moralibus videtur posse admitti, quia moralitas accidentaliter se habet ad entitatem physicam actus; non repugnat autem recipi in aliquo subjecto plura accidentia ex æquo, et adæquate diversa, nec unum subordinatum alteri, ut in corpore color, et calor, vel figura. Fundamenta hujus sententiæ postea in solutione argumentorum offeremus. Tenent hanc sententiam aliqui ex recentioribus discipulis Scoti, sed non omnes; aliqui enim oppositum putant esse de mente Scoti. Eandem sententiam probabilem reputat Salas tract. VII, disp. II, sect. IX, n. LXXXI. Citatur etiam pro hac sententia Montesinos hic disp. XXIV, quæst. IV. Sed ipse non tenet posse istas bonitates esse ex duplici objecto formali adæquate diverso; sed posse voluntatem ferri unico actu in plura objecta, vel fines ut conveniunt in aliquo, et per

modum unius se habent, quatenus unus finis est volitus propter alterum. Hoc enim dicit se existimare ut magis verum, licet aliqui sentiant posse ferri voluntatem in plures fines per modum plurium, quod ipse non admittit, ut patet legenti locum citatum numero xxxvii. Unde patet ipsum non sequi illorum Scottistarum opinionem, qui putant posse voluntatem ferri in plures fines, et objecta formalia adæquate diversa, et per modum plurium, falsoque citari pro ea sententia Montanosinos.

III. Ad hanc etiam sententiam aggregari potest alia quorundam Nominalium opinio, qui censent actus morales non solum specie distingui ex diverso objecto formali, sed etiam ex diverso materiali, ut abstinere a cibo et a potu sunt diversa objecta materialia, et dant diversam speciem bonitatis moralis, et retribuere eleemosynam in pane, vel in argento, concupiscere ardentem divitias artificiales, vel naturales, et alia multa similia. In qua sententia multo magis potest dici, quod idem actus est capax plurium bonitatum adæquate diversarum, quia potest eodem actu attingi multiplex materia specie diversa, ut in exemplis allatis patet, et in aliis multis, quæ passim occurrunt, ut cum aliquis vult furari argentum, et aurum, gulosus esse in carnibus, et in piscibus, etc.

IV. Pater Vazquez sententiam tenet oppositam per aliud extremum, tum in malitia, tum in honestate. Nam in malitia, seu peccato distinguit de peccato quod non consumatur interius, seu non requirit expressam volitionem objecti, ut sit speciale peccatum, et de peccato quod interius consumatur, seu requirit specialem volitionem objecti ut sit speciale peccatum, verbi gratia inobedientia, aut odium Dei so-

lent esse generales condiciones omnis peccati, quatenus quis avertitur a Deo dilecto super omnia, et frangit ejus præcepta, ut autem sit speciale peccatum inobedientia debet esse volita, et Deus expresse haberi odio. Alia peccata sunt, quæ sine tali speciali, et expressa volitione consumantur, ut cum quis vult furari in loco sacro, aut mœchari cum moniali, non est necesse exprimere vel illam irreverentiam rei sacræ ut sit species sacrilegii. Et sic dicit Vazquez, quod in peccatis primi generis non contingit eundem actum habere plures malitias, quia non potest idem actus expresse tendere in duo objecta. In peccatis autem secundi generis, bene stat quod idem actus habeat plures malitias, quia non requiritur expressa omnium volitio, sed sufficit aliquam esse implicite volitam, et includi, aut inveniri in objecto, vel quia idem actus opponitur duplici virtuti, vel quia vult unum malum propter aliud, ut furtum propter mœchiam. Ita tenet hic disp. ci, c. iv et v.

V. At vero circa honestatem, seu bonitatem actus censet non posse simul eundem actum habere duas bonitates erga aliquem finem, vel objectum, sed necessario eas reduci ad plures actus, quia unica intentione non possunt appeti plures fines, seu motiva bonitatis: et sicut intellectus non potest intelligere plura simul, sic neque voluntas velle. Ita habet in disputatione li, c. iii, et in commentario, art. vii hujus quæstionis xviii. Subdit tamen exceptionem in actu adorationis, potest enim quis eodem actu adorare humanitatem Christi latria ob conjunctionem ad divinam Personam et dulcia ob excellentissimam sanctitatem creatam, quia utroque isto titulo potest fieri adoratio etiam interna.

VI. In secundo ordine, in quo

considerantur plures malitiæ, vel honestates actus cum subordinatione unius ad alteram, quæ præsertim relucet, quando una malitia, aut bonitas oritur ab objecto, alia ex fine, seu ex fine operis, et operantis, ut cum quis dat eleemosynam non solum propter honestatem ipsius eleemosynæ, sed etiam propter penitentiam, aut propter charitatem, variæ etiam sententiæ auctorum sunt, quæ oriuntur ex diverso modo sentiendi circa bonitatem finis, et mediorum, de quo egimus supra circa quæstionem viii, disp. v. Aliqui enim volunt totam bonitatem sumi ex fine, in mediis autem non inveniri bonitatem, nisi materialiter, et ut deservientem fini. Alii vero volunt etiam formaliter inveniri bonum in mediis, quia ipsum ordinari in finem, et conducere ad illum, bonum formaliter est, et diversimode ordinari, diversam formalitatem, et speciem boni fundat. Ex hoc ergo originatur duplex principalis sententia extreme contraria circa bonitatem, vel malitiam convenientem actui ex parte objecti, et ex parte finis, quæ sunt bonitates, aut malitiæ subordinate inter se. Nam quidam tenent actum habere speciem principalem, et essentialem ex fine operantis, seu ex virtute imperante, ex objecto autem proximo non habere bonitatem, aut non nisi materialiter, et minus principaliter. Quæ sententia attribuitur Conrado in hac quæstione xviii, art. vi, et supra quæst. i, art. iii. Et videtur habere fundamentum in eo, quia medium ut medium nihil bonitatis habet, sed tota ejus bonitas sumitur ex fine ad quem conducit, et cujus amore, et ratione appetitur. Unde non est essentialis bonitas in actu tendente erga media nisi desumpta ex fine. Et sic D. Thomas in hac quæstione xviii, art. vi adducit dictum Aristotelis xv ethicorum, c.

ii: « Quod qui furatur ut mœchetur, magis est mœchus quam fur. » Ergo non est accidentaliter mœchus, sed essentialiter, si quidem magis denominatur ab illo, mœchia autem habet ibi rationem finis.

VII. Alii per aliud extremum sentiunt finem operantis nunquam dare speciem essentialem actui imperato, et qui versatur circa medium, sive sit interna electio, sive externa actio, sed actum habere speciem essentialem ex objecto proximo, seu medio, finem vero operantis, semper esse circumstantiam, et dare speciem accidentalem, licet in movendo sit principalior ipse finis operantis, quia habet potiore rationem voluntarii, et sic principaliter denominat actum in movendo ex parte finis, non in specificando. Ita Magister Medina in hac quæstione xviii, art. vi, et multi ex Thomistis. Itaque finis ut finalizans nunquam dat speciem, sed ut objectum, et ita respectu actus interioris, et imperantis finis se habet ut objectum, sicque specificat illum specificatione essentiali, quia objectum est, non quia finalizans. Respectu autem actus imperati, et exterioris finis operantis (qui solus est finalizans, non specificans ut objectum) solum se habet ut circumstantia dans speciem accidentalem, non ut specificans essentialiter, hanc enim speciem ab objecto proximo habet ille actus.

VIII. Cum hac sententia sine dubio sentit Cajetanus quidquid Vazquez loco statim citando in contrarium eum trahat, et in suam sententiam velit adducere. Nam Cajetanus in hac quæstione xxviii, art. iv et vi et quæst. xx, art. ii, convenit in hoc, quod actus interior sumit speciem suam a fine, quia objectum ejus est. De actu autem exteriori, distinguit, et dicit, quod si consideretur materialiter, id est, ex vi pro-

priæ materiæ, seu objecti, habet ab objecto speciem essentialem, a fine autem operantis solum accidentalem, quia circumstantia ejus est. Si vero consideretur formaliter, id est, in quantum imperatus, et subordinatus actui interiori imperanti habet eandem speciem essentialem, quam actus interior, quia non ponit in numero cum illo. Non tamen ex hoc dixit Cajetanus aut alii Thomistæ dicunt, quod actus intentionis, et electionis sunt idem actus entitative, et solum secundum diversos respectus differre, ut Vazquez illis attribuit, cum sententia communis Thomistarum sit, electionem causari, et derivari ex intentione, sicut assensus conclusionis ex assensu præmissarum, et tamquam de diversis actibus loquitur de illis D. Thomas et communiter ejus discipuli. Sed dicunt non ponere in numero actum interiore, et exteriori in quantum imperatum, non quoad entitatem, sed quoad denominationem, quia bonitas eadem, quæ est in interiori actu derivatur ad denominandum exteriori, seu imperatum, sicut sanitas animalis denominat herbam sanam, et tamen herba, et animal sunt distinctæ entitates. Vide D. Thomam supra quæst. XII, art. IV, in corpore articuli, ubi simpliciter docet esse duos motus intentionem, et electionem: solutione autem ad tertium non dicit esse eundem actum entitative, sed solum esse unum subjecto, sicut ascensio, et descensio in eodem spatio, qui sunt motus entitative diversi.

IX. P. Vazquez etiam in hac parte diversam habet sententiam hic disp. LI, c. II et III, dicit enim duo. primum, quod omnis actio interior, etiam si sit electio, habet suam Primariam bonitatem ex fine tamquam ex objecto, quæ vero habetur ex medio secundum se considerato esse

accidentariam. Et hoc ideo, quia medium secundum se, aut nullam habet bonitatem, seu malitiam, sed totam ex fine, aut si aliquam habet, illa non respicitur per se, sed ut habet rationem utilis erga finem; est ergo finis prima ratio motiva bonitatis, aut malitiæ. Cæterum actionem exteriori dicit non sumere speciem essentialem a fine operantis, quia accidentale ipsi est respicere talem finem, quatenus scilicet procedit a voluntate hujus operantis: sed solum per se respicit objectum suum. Electio vero interior per se respicit medium, ut relatum ad finem, et illi utile. Alterum quod dicit, est electionem non solum habere primariam bonitatem ex fine, sed quod illa sit unica, ita quod ex medio secundum se considerato nullam speciem bonitatis habeat, potest tamen habere malitiam. Quod intelligit non solum quando medium indifferens est de se, sed etiam quando est materia alicujus virtutis, et ex se habet alias bonitatem, ut cum quis eligit actum temperantiæ, ut medium ad vincendas tentationes fidei ex fine alterius virtutis, tunc dicit illum actum nullam bonitatem habere a temperantia, sed solum a fine virtutis superioris, a qua imperatur. Et hoc ideo, quia secundum Aristotelem ut opus sit virtuosum, non sufficit facere illud quomodocumque, sed propter ipsam honestatem virtutis, ita quod si faciat quis actum justitiæ propter aliud motivum faciet quidem justum, sed non juste; ergo hoc ipso quod eligit opus virtutis ut medium ad finem alterius virtutis, illud opus non fit propter ipsammet honestatem talis virtutis, sed propter aliam: ergo non relinquitur in specie, et honestate talis virtutis, sed trahitur ad aliam tamquam illi deserviens, et sic solum materialiter est virtutis inferioris, et formaliter superioris,

ut dicit S. Thomas supra quæst. XIII, art. I, quod opus martyrii materialiter est fortitudinis, et formaliter charitatis. E contra vero ut actus sit malus non opus est quod ex motivo ipsius malitiæ res sit volita, sed ex quocumque motivo volita sit, malitia participatur, quia malum ex quocumque defectu. Igitur hoc ipso quod malum medium eligitur etiamsi ex alio fine malo oriatur, semper malitiam habebit ex medio etiam secundum se considerato.

RESOLUTIO EX MENTE D. THOMÆ.

X. Sententia D. Thomæ per sequentes conclusiones explicabitur, loquendo prius de bonitate et malitia, quæ potest convenire actui absolute ratione objecti; deinde de ea quæ convenire potest cum subordinatione unius ad alteram, ut quia una est ex fine operantis, et virtute imperante, alia ex objecto proprio actus.

XI. Dico ergo primo: Non potest idem actus habere duplicem speciem bonitatis, aut malitiæ ex duplici objecto formali æque primo adæquato, et diverso, bene tamen si utrumque inadæquate se habeat etiam in actu interno. Hæc est contra illam primam sententiam illorum Scotistarum, quantum ad primam partem, et quoad secundam contra Vazquez. Sed oppositum est commune inter theologos. Itaque licet concurrant plures malitiæ, aut bonitates in eodem actu ratione objecti ex diversis rationibus formalibus, aut motivis, tamen omnes debent per modum unius concurrere in tali objecto, et constituere unum objectum formale. Non enim modo loquimur de concursu plurium bonitatum, vel deformitatum ex diversis principiis, quorum unum subor-

dinetur alteri, ut ex objecto, fine, et circumstantiis, sed solum de pluribus bonitatibus, aut malitiis ex parte objecti concurrentibus. Et dicimus, quod quando in ipsomet objecto, et specificatione ex illo desumpta concurrunt plures malitiæ, aut bonitates, non possunt esse adæquate diversæ, et ex diversis objectis formalibus concurrentes, sed debent per modum unius in aliqua formali ratione adunari, alias debent diversis actibus fieri, verbi gratia in homicidio, et concurrunt malitia injustitiæ contra ipsum, qui occiditur quantum ad damnum vitæ, et malitia quantum ad damnum honorum, et sustentationis respectu uxoris, et filiorum: non sunt istæ malitiæ adæquate diversæ in illa specie actus, sed per modum unius rationis connectuntur in aliqua ratione formali complectente omnes illos effectus. Et in eo qui excitat seditionem, aut facit dissidium in regno sunt infinitæ fere malitiæ tot damnorum, quæ inde oriuntur, tamen illa per modum unius sunt volita in objecto illo talis seditionis, aut rebellionis.

XII. Hæc conclusio probatur ex eodem loco D. Thomæ quem citant oppositi auctores Scotistæ pro se scilicet supra quæst. XII, art. III, (nam in articulo secundo, quem citant, non id tractat) quo loco S. Thomas dicit posse voluntatem simul intendere plura, etiam ad invicem non ordinata. Subdit autem in solutione ad secundum sic: «Ad secundum dicendum quod unius motus possunt ex una parte esse plures termini, si unus ad alium ordinatur: sed duo termini ad invicem non ordinati ex una parte, unius motus esse non possunt. Sed tamen considerandum est, quod id quod non est unum secundum rem, potest accipi ut unum secundum rationem. Intentio autem est motus vo-